



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

4. De mari, fontibus & fluminibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

inferiori, vbi minus est congregata in partes grandiores.

De Rore, Pruina, Glacie.

Quid ros. 37. Ros est aqua facta ex vapore valde subtili eleuato supra terram, sed non ad magnam altitudinem, quæ insensibiliter cadit, & congregatur in guttulas super illas partes, super quas videtur. Non reperitur supra altos montes, quia vapor, ex quo fit, non ascendit tantum, nec supra regulas aut cineres, nisi raro admodum, quia vt paulatim decedit, ob siccitatem illorum, ita paulatim desiccatur. Non cadit tempore ventoso, quia per ventum dispergitur; nec tempore hyemis valde frigido, quia vel prohibetur ascensus vaporis, vel ros, antequam descendat, congelatur; nec tempore valde calido, quia ante resolutionem, & etiam forte ante ascensum, consumitur vapor ob nimium calorem, nec denique tempore valde nebuloso, quia grossities nebulæ impedit ascensum vaporis tam subtilis.

Quid pruina. Pruina non est aliud quam vapor ille subtilis, ex quo fieri deberet ros, concretus; ad eundem prorsus modum seruata proportionem, quo nix est vapor ille, ex quo generari deberet pluuia, concretus per causas ad id virtutem habentes. Vnde patet Rorem, & Pruinam tam inter se, quam à pluuia, niue & grandine probabiliter non distinguere specie, sicut dictum est de niue & pluuia, ob eandem etiam rationem.

Quomodo sic glacies. Quod Glacies sit aqua congelata certum est, sed quomodo congeletur, eadem obscuritate, quam cætera Meteoræ, inuoluitur. Aliqui putant eam congelari ex nimio frigore. Sed id non est verisimile, præsertim in sententia communiori, quæ attribuit aquæ ex naturali sua indigentia summum frigus: hoc enim supposito, si à frigore haberet congelari, status connaturalis eius exigeret congelationem, quod absurdum est. Itaque verisimilius est, frigus solum non sufficere ad congelationem; sed vltius requiri admixtionem aliquorum halituum, aut vaporum, qui vna cum frigore, non vero seorsim congelare possint: ad quod etiam concurrunt sine dubio occultæ quædam astrorum influentiæ.

De Melle, Mannæ, Saccharo.

Quid Mel. 38. Mel, de quo Plinius dubitat sit-ne cæli sudor, an Astrorum salina, vel purgantis se æris succus, generari arbitrantur Philosophi ex partibus quibusdam terræ subtilibus simul cum vapore, ex quo ros concreuit subtilianis præsertim temporibus, elatis, cum eodemque commixtis: hac enim commixtione oritur succus ille dulcis & viscosus, qui Mel dicitur, quemque apes non tam generant, quam ex floribus hinc inde collectum in aluearia deferunt.

Quid Saccharum. Saccharum quoque simili fere modo, quo Mel, cuius speciem ipsum vocat Dioscorides, ex rore cælesti, hoc est, ex aëre decedente, & partibus aliquibus subtilibus terræ commixtis inter se, ac concretis efformatur, concurrente tamen dispositione aliqua cannarum, in quibus excipitur, ac cælestium corporum influxu.

Quid Manna. Manna est liquor quidam candidus melleo sapore instar mellis ex vapore rorido, ac partibus terræ subtilioribus parum humidis confectus, ad varios medicinæ vsus deseruiens, ac etiamnum in Calabria, aliisque locis repertus. Dubitari autem solet, an sit diuersæ speciei hoc manna ab illo, quod populo Israëlítico ex Ægypto proficiscenti in deserto prouidit Deus. Negatiuam partem tenent Conimbricenses, quamuis fateantur miraculose fuisse productum illud Hebraicum: affirmatiuam sustinet Auerſa, in quam etiam ego magis propendeo, quia naturale Manna non videtur posse sufficere ad sustentationem tot hominum diuersarum complexionum tam longo tempore.

QVÆSTIO IV.

De Mari, Fontibus & Fluminibus.

In hac quæstione agimus de iis, quæ spectant ad elementum aquæ.

De Mari.

40. Duo hic examinanda sunt de Mari: primum, vnde accidat, quod falsum sit, deinde quomodo mouetur.

Quantum ad primum, Scorus proponit vnam sententiam de falsedine Maris lib. 2. Met. quæst. 3. num. 6. quod oriatur ex eo, quod illa aqua sit diuersæ speciei ab aqua dulci, & ex illa diuersitate specifica determinet sibi talem falsedinem, sicut aqua dulcis determinat sibi dulcedinem, seu potius carentiam falsedinis. Quæ sententia non facile conuinci potest.

Communior tamen, vel hoc ipso, quia communior, est præferenda, asserens marinas aquas, non ex natura sua, sed ex causis extrinsecis habere suam falsedinem. Causas autem assignat admixtionem exhalationum terrestrium siccarum & adustarum, & influxum Solis, cui adiungit Auerſa succum falsum ex venis salis per terram sub mari sparsis ortum; cuius admixtionem non male probat ex eo, quod aqua maris potest resolui in salem, quæ etiam causa esse potest, cur aliqui fontes & lacus falsedine imbuantur. Quod etiam commixtio exhalationum terrestrium adustarum, & siccarum possit iuuare ad falsedinem, patet experientia, tum lixiuij, quod falsum sit ex commixtione cinerum & aquæ: tum etiam sudoris ac sputi, quæ similem ob causas falsa redduntur.

41. Nunc vt ad secundam partem accedamus, Tres potissimum considerandi sunt motus maris, vñus à Septentrione ad Austrum; secundus ab Ortu ad Occasum; tertius, quo fluit, & refluit.

Quantum ad primum motum, quem dari experientia compertum esse, supponendum est: causam eius assignat Scorus supra quæst. 2. art. 3. quod pars Septentrionalis cum sit remotior à Sole, & humidior ac frigidior, aptior sit ad generationem aquæ; meridionalis vero vicinior Soli facile patitur aquas in se consumi. Hinc enim sequitur quod quandoquidem aqua naturaliter petat loca demissiora, & crescat ad Septentrionem, moueri debeat ad Austrum vbi decreuit. Aliam causam assignat Philosophus, quod in Septentrione sit maior abundantia fluminum in illam partem maris intrantium & ipsum mare minoris profunditatis.

Secundus motus deprehenditur hac experientia, quod cæteris paribus naues citius conficiunt suum iter ab Ortu ad Occasum, quam è contra; quæ experientia, si ad veram esse, conuincit illum motum.

Hunc autem motum aliqui putant prouenire ex eo, quod cælum motu suo rapiat secum etiam mare; hoc mihi non est probabile, neque enim potest secum ferre aquam, nisi ferendo simul aërem, quoad partem etiam inferiorem, & mediante hoc aquam: sed hoc non contingit, tum quia non est experientia vlla, quod inferior pars aëris sic feratur, sed potius omnis experientia suadet contrarium: tum quia etiam sæpe mouetur aër contrario motu, flante scilicet vento ex diuersis aliis partibus. Potius ergo dicendum, quod hic motus proueniat à corporibus cælestibus mediante aliqua virtute attractiua occulta.

45. Tertius denique motus omnium difficillimus ab antiquioribus Philosophis, ac Astronomis, quos sequitur Scorus 2. sent. distinct. 14. quæst. 3. (vbi & ego in commentario hac ipsa de re egi, ex quo etiam, quæ hic trado, desumpti) Lunæ potissimum adscribitur, adhibito tamen aliorum astrorum concursu, & considerato terrarum ac regionum situ. Lunam autem habere magnam partem in hac actione, vel inde sufficientissime colligitur, quod æstus hic maris augeatur, ac minuat cum proportionem ad Lunæ incrementum, ac decrementum, adeo vt quando Luna est plena, longe maior sit æstus, quam alias: neque enim hoc contingeret absque speciali Lunæ influxu. Nec etiam cum vlla probabilitate potest dici, quod absque influentia aliqua cælestium corporum, possit tam ordinato, ac inuariabili motu in aliquibus locis, vt in Hybernia, ac Anglia, bis quolibet die, spatio sex horarum fluere, bis reflere, idque

Vnde oriatur falsedine maris.

Tres motus maris.

Vnde oriatur motus maris à Septentrione ad Austrum.

Vnde oriatur motus ab Ortu ad Occasum.

Vnde oriatur fluxus, & refluxus.

Non potest fieri absque influxu aliquo cælesti.

idque tanto incremento, ut multa terrarum millia cooperiat, adeo ut ubi, mari refluxente, nihil aquæ reperiatur, eodem influente maximæ nives nasci possint.

46. *Dices cum Camerario quæst. 26.* mare ex natura sua habere illam virtutem mouendi se.

Contra, quia causa naturalis inanimata non potest habere effectum nouum absque applicatione aliqua noua, aut coniunctione cum aliqua causa, aut conditione noua, ut est euident; sed non potest assignari vlla applicatio noua maris, aut coniunctio vllius causæ, aut conditionis cum illo, ratione cuius de nouo inciperet se mouere, nisi recurrendo ad influentias cælestes: ergo non potest motus ille provenire ab aqua, virtute sua propria solummodo.

Quod vero inuenit alia sydera, & terrarum situs, deduci potest ex eo, quod non eodem modo fiat hic fluxus ubique, cum vix discerni possit in mari Tyrcheno, satis notabilis sit in Adriatico, sed longe notabilior in Hybernico; in aliquibus etiam locis, pluribus horis fiat fluxus, quam refluxus; in aliis vero è contra: quæ varietas in solam Lunam refundi nequit, & potest satis commode in alia astra, ac locorum dispositiones diuersas.

49. *Si autem queratur*, quomodo possit Luna mouere aquas.

Aliqui putant, id fieri per lucem à Luna diffusam. Sed hoc non habet apparentiam; quia non est verisimile lucem habere illam virtutem attractiuam: & præterea fluit mare æque, quando impeditur diffusio luminis lunaris, ac quando non impeditur; & tum etiam cum Luna apud Antipodas existens nostrum hemisphærium illuminare nequit.

Alij dicunt Lunam, astra mouere mare rarefaciendo ipsum, & condenſando. Sed hoc etiam non placet, quia notabilissima deberet esse rarefactio, quæ ad tantum fluxum requireretur, qualis tamen non apparet prorsus in mari influente magis, quam refluxente, aut etiam immoto. Itaque probabilius est motum illum causari à Luna, & astris concurrentibus per influentiam occultam similem proportionabiliter illi, quæ magnes trahit ferrum, quam sententiam tribuit *Scorus Albumasari*.

Nec obest quod Luna non moueat sic, aut alio modo aquas fluuiales. Quia sicut magnes non trahit plumbum, sed ferrum, propterea quod in ferro sit aliqua dispositio particularis ad talem motum conducens, qualis non reperitur in plumbo: ita similiter in mari potest reperiri dispositio quæpiam specialis, quæ iuuare possit ut moueatur ab astris: à quibus tamen fluuij sic moueri nequeant ob defectum talis dispositionis. Id difficilius est cur aqua maris extracta à reliqua parte, quandoquidem habeat similes dispositiones cum reliquo mari, non moueatur à Luna, aut astris. Sed responderi potest id oriri ex eo, quod nunquam reperitur in aqua separata illa dispositio, quæ est in partibus maris, quæ per se à Luna mouentur.

48. *Alij putant* mare moueri per hoc, quod Luna, & astra attrahant ad se exhalationes.

Contra, quia quemadmodum possunt trahere exhalationes, possunt etiam trahere ipsum mare. Deinde sicut exhalationes fluminum trahuntur immoto flumine, ita possent attrahi exhalationes maris immoto mari. Rursus non est verisimile quod tot semper, & tam continue reperiantur in mari, per quarum attractionem posset semper tam vniſormiter moueri absque vlla differentia.

De Fontibus, & Fluminibus.

49. Nihil hic de fontibus, ac fluminibus examinandum, nisi quod spectat ad originem eorum.

Peterum quorundam sententia, cuius *Philosophus* recordatur, erat, quod fontes, & flumina originem haberent ex aquis pluuiialibus in terram cadentibus.

Sed contra hanc sententiam facit, quod flumina magna semper absque intermissione in tanta copia fluentia plus sine dubio aquæ habeant, quam vllò vnquam tempore cadat è cælo.

Deinde, si non originarentur flumina aliqua ex mari,

sed ex aqua pluuiali quotannis decidente fierent, quandoquidem perpetuo intrent in mare, mare deberet iam ad maximam quantitatem excreſcere contra experientiam: neque enim est vlla ratio cur non excreſcat, nisi quod quantum recipit ex ingressu fluminum ab vna parte, tantum perdat ex aqua ad aliam partem in flumina ab ipso profluente.

Secunda sententia, quam amplectitur *Philosophus*, tenet flumina ac fontes oriri ex aqua de nouo generata ex aëre & vaporibus.

Sed hæc etiam sententia iisdem rationibus, & maxime secunda improbat: non nego tamen quin aliqui fontes creari possint, ac augeri tam per aquas pluuiiales decedentes è cælo, quam per aquas etiam de nouo generatas; neque enim in hoc est vlla difficultas: & cum consumatur multum aquæ quotidie, si à solo mari originem & augmentum haberent, iam mare valde extenuatum esset.

Adde, ad sensum videri fluuios creſcere notabiliter in hyeme, & creſcere in æstate pro ratione pluuiarum.

50. *Tertia itaque sententia est*, flumina ac fontes perennes, ac perpetuos è mari originem habere. Hæc communior est Patrum & expositorum Scripturæ, & fundamentum habet illo *Ecclesiastis* 1. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum unde exeunt flumina reuertuntur, ut iterum fluant.* Quæ verba quamuis *Auersa* aliter exponi posse dicat, quam vt faueat huic sententiæ; tamen imprimis nulla expositio naturalior, ac clarior est, quam illa quam præferunt verba, & quæ suadet hanc sententiam; & deinde cum ita exponant Patres communius, quamuis paterentur alias explicationes, male tamen negaretur exponi etiam debere hoc modo.

Probat etiam eadem sententia ratione, quia vt inter oppugnandas alias duas sententias præmissas dictum est; alias sequeretur mare debere notabiliter creſcere, nec apparet modus, quo saluari possit magnorum fluuiorum continua magnitudo, nisi terendo hanc sententiam; cui nullo modo præiudicat quod aquæ pluuiiales & alia aquæ de nouo generatæ augeant flumina & fontes, nec etiam quod aliqui sint fontes & iuui, qui non habeant originem ex mari immediate, vt patet ex eo, quod in æstate præ nimia siccitate, & defectu aquæ pluuialis, & aquæ de nouo generatæ, deficiant nihil prorsus aquæ in se continentes.

51. *Dices contra* hanc sententiam primo: Aqua fluminum & fontium est dulcis, aqua vero marina salta: ergo flumina non habent originem ex mari.

Respondeo negando consequentiam; quia quamuis originem habeant ex mari, possunt tamen non habere falsedinem: vel quia falsedo non est accidens connaturale aquæ marinæ, sed causatum in ipsa per causas extrinsecas, quibus abscentibus in fluminibus & fontibus non debent illam habere: vel etiam si esset ipsi connaturalis, adhuc in transitu subterraneo, quem facit ad flumina & fontes, posset ipsam perdere per actiuitatem aliarum causarum.

Dices secundo, Fontes erumpunt ex locis altissimis, quibus longe demissus est mare; ergo non possunt originem ducere ex mari, quia non possunt naturaliter ascendere supra principium unde fluunt.

Propter hoc argumentum, *Arriaga disput. 2. de Generatione numero 59* putat mare quoad aliquam partem esse altius terra, & montibus etiam. *Sed imprimis* non est necesse recurrere ad hanc singularem doctrinam, vt soluat hanc obiectio; nam *Responderi potest* fontes illos, qui erumpunt ex locis illis altissimis, non habere originem à mari, præsertim quoad illam partem, quæ ascendit supra mare: potest enim dici, quod quoad illam partem originem habeant ex aliqua alia terræ parte æque alta, vel altiori, à qua per canales occultos deducitur aqua illa. Dixi autem, *præsertim quoad illam partem, quæ ascendit*, quia sub aqua illa ascendente posset dici quod reperiretur aqua à mari proveniens, quamuis

quamvis id non esset necessarium. Nec fundamenta *Arriagæ* aliquid concludunt: non quidem illud ex prædicto Scripturæ loco deductum, quia imprimis non loquitur de fontibus, & deinde non dicit omnia flumina reuerti ad mare ut iterum fluant, licet dicat omnia intrare in mare. Nec cætera à ratione petita, quæ solum militantes contra eos qui ponerent omnia flumina & fontes ex aquis pluuiialibus & de nouo generatis confici, quod non debent asserere illi, qui putant fontes ex montibus altissimis erumpentes, non originari à mari.

Cæterum variæ qualitates, quæ in fluminibus ac fontibus digerlarum partium reperiuntur, quorum quædam calida, quædam sapida, quædam ad has & illas infirmitates conducentia sunt, ex natura locorum, per quæ transeunt, ac influxibus particularibus corporum celestium oriuntur.

QVÆSTIO V.

De iis, quæ circa terram contingunt.

IN hac quæstione reliquam Meteororum partem de Montibus, Insulis, Terra motu, Ignibus, subterraneis, ac Metallis, agendum.

De Montibus & Insulis.

52. De Montibus nihil hic agendum quam de origine ipsorum ac altitudine. Quantum ad originem, nullo modo probabile est eos naturali virtute syderum in illam altitudinem euectos, quidquid dicat *Contarenius lib. 2. de Elementis*; quia si talis vis esset in syderibus, deberent de nouo erigi montes per illam, contra experientiam. Nec etiam putandum est, eos formatos vi diluuij, quia non est credibile, quin ante diluuium extiterint montes; & deinde saxosi montes ex ingentibus rupibus compacti nulla vi aquarum formari poterant.

Melchior asseritur, Montes maiori ex parte ab ipso Domino Deo in initio mundi creatos fuisse ad decorem, ac utilitatem vniuersi, aliosque sibi cognitos fines. An autem id fecerit primo die quo creauit terram, an tertio quo segregauit aquas ab aquis, incertum & parum vile cognitum.

Quoad altitudinem, sunt qui valde magnam altitudinem quibusdam montibus attribuant, ut monti *Veneriffem* sexaginta milliaria. Verum cum hæc res pendeat ab experientia, & fide eorum, qui id asserunt, non præbet occasionem discursui. Id magis examinandum, an Montes altiorem communiter excedant mediam regionem æris, ubi pluuia, grando, nix, venti generantur. Id de *Olympo* plures scribunt moti ad hoc experientia, quod cineres ad summum eius deportati integri reperirentur post annum; quod esset verisimile, si in illa summitate plueret aut ningeret, aut si pertransiret ventus aliquis.

At teste *Auersa*, *Franciscus Philalephus* dicit se in illa summitate, & pluias, & ventos, & niuem fuisse expertum. Cui tamen an potius credendum, quam illis aliis, qui oppositum referunt, cuiusvis generis, & voluntati relinquendum; nec ulterius in hac re immorandum.

53. De Insulis præcipue hic considerandum venit, an ab initio in diuisione aquarum separatæ sint à reliqua terra, an vero postea per diluuium, aut terræ motus, aut extraordinario aliquo aquarum impetu. Verisimile autem est, cum vtroque modo id fieri potuerit, quasdam Insulas ab initio seiunctas, quasdam per diluuium, & quasdam postea per terræ motus, ac aquarum impetus, ut legitur de Sicilia à Calabria separatione. Homines autem navigationis beneficio, vel ministerio Angelico, Deo ita disponente, facile ad eas inhabitandas pertingere poterant, eoque secum ducere animalia perfectiora, quæ absque seminali propagatione generari non poterant; ex quibus, quæ ferociora sunt & damnosæ magis quam vtilia, ut lupi, vulpes, leones, ac similia; vel curiositas, ac magnificentie causa, vel bonorum, ac malorum Angelorum opera, eo deferri facile potuerunt.

Si quæ vero Insulæ sunt, quæ integræ natant, & huc illuc ad maris motum feruntur, ut scribunt nonnulli, nec creditu difficile est, propterea sic natate iudicandæ sunt, quod intra se contineant magnam leuitatem, quæ terrenæ grauitati descensum prohibeat, vnde cumque illa leuitas proueniat, quæ varia posset habere principia.

De Terra motu.

54. Omisiss veterum de Terra motu causa opinionibus, nullam probabilitatis speciem habentibus, communis Peripateticorum cum *Philosopho lib. 2. Meteororum* sententia est, eum causari per exhalationem siccam, & calidam, quæ in magna quantitate intra terram inclusa, exitum quaerens, summo impetu terræ latera percutit, & agitat, & tremorem illum causat, quandoque quidem incensa, aliquando sine incensione. Posse autem causari terræ motum vi, & impetu huiusmodi exhalationum ex impetu illo, quo aliquando delatus ventus maxima prostermit ædificia, arbores eradicat, saxa ingentia propellit, & etiam ex impetu pulueris tormentarij intra loca subterranea incensi, facile quis sibi persuadeat.

Effectus varij terræ motus referuntur à *Scoto*, & *Cominbricensibus*; sed cum ipsis oculis pateant iis, qui, ubi terræ motus accidit, degunt, quos causat effectus, in iis recensendis hærendum non videbatur; neque etiam in prælagiis, seu signis terræ motum prænuñtiantibus, quorum nullum tam conuertibile est cum terræ motu, quin alterum sine altero contingere possit.

De Ignibus subterraneis.

Esse magnam sub terra ignium copiam, ex continuo eorum ex quibusdam Montibus, ut *Ætna*, *Vesuuio*, & similibus egressu manifeste patet. Hi autem ignes pro ordinario pabulo, ex quo generantur, sulphur & bitumen habere dicuntur, ad quos etiam nutritiones exhalationes intra terram inclusæ, & aliæ substantiæ combustibiles conducere sine dubio possunt.

Hoc autem pabulum accenditur quidem, quoties non adest alius ignis, virtute corporum celestium, sed disponitur ad combustionem per calorem, quem causare possunt exhalationes calidæ & siccæ in terra inclusæ, quandoque per antiperistasis, quandoque per motum & attritum, ac collisionem ad alia corpora exitum impediencia calidiores effectæ, & aptiores, tum ut ipsæmet incendantur, tum ut alia corpora calefaciant ac disponent ad incendium.

De Metallis.

56. Metalla, de quibus hic agitur, sunt *Aurum*, *Argentum*, *Æs*, *Ferrum*, *Plumbum*, *Argentum viuum*, *Stannum*, ad quæ reliquæ, quæ enumerantur, species reduci possunt. De his autem hoc loco quæri solet, ex qua materia fiant, à qua causa producantur, & quibus locis.

Quantum ad primum, Chimici existimant ea fieri ex sulphure & argento viuo, tanquam ex materia proxima; *Philosophus* ex exhalationibus aliquibus vaporosis, seu vaporibus aquosis; Alij ex terra & aqua. At certe non video qua certitudine posset alterutra ex his sententiis, aut aliis præferri, aut cum aliqua vrgenti ratione fulciri, & fortassis fieri posset ut ex quavis ex his materiis, aliisque cum illis proportionem aliquam habentibus metalla generari possint.

57. Quantum ad secundum, communior consensus est, quod non nisi mediante aliquo influxu particulari corporum celestium produci possint; neque enim aliæ causæ secundæ assignari possunt, quæ sufficiant; & præterea quod incertis quibusdam locis generentur potius, quam in aliis, difficulter assignari potest ratio, nisi ad causas superiores recurrendo. Imo quamuis per artem chemicam fieret aurum, & alia metalla, adhuc opus esset influxu corporum celestium, qui iuxta dispositiones causatas per directionem artis à rebus inferioribus debito applicatis exhiberi deberet. Nec consistit in qualitate aliqua à celestibus corporibus producta, nec in productione talis qualitatis, quia ut suppono iam ex dictis *Libro secundo Physicorum*, nullum accidens potest sufficere

Quomodo
fit terræ
motus.

Ignes sub-
terranei.

Metallorum
materia.

Fiant per
influxum
celestium.

Origo
Montium.

Rorum al-
titudo.

Insularum
origo.